

per illud sanctum et ineffabile nomen tuum quod cum patre et spiritu sancto possides. in eternum solus. domine supplices deprecamur ut hunc famulum tuum ad poenitentiae remedia confugientem. data manu misericordie benignus recipias. inspirans cordi illius. ut quod corpore pretendit. corde potius agat. Tu enim nosti qua mente te quisque requirat. qua devotione ad te confugiat. Subest autem tibi cum volueris posse et mentem uniuscuiusque ad quos volueris affectus subito convertere. Nam et Saul dum David persequitur. subito prophetat. et Saulus dum christianos persequitur Paulus et doctor subito christianorum efficitur. Nemo te ut ait quidam tuorum quidam recte quesivit et minime invenit. omnis vero recte quesivit quem tu recte querere fecisti. Fac et istum quesumus domine te recte querere. vindica eum ab erroribus qui eius decipiant animam. splendificator illius effugatis tenebris victorum mentem illius obcecantium. et nos quidem domine piissime potestate a te nobis licet indignis concessa. lumen ei quod sequatur vite possumus demonstrare. sed nisi tu domine oculos mentis eius aperueris. ~~vane-
vane-~~ vanescit labor quem ei impendimus. Sic enim ait psalmista sed tamen a te inspiratus. Nisi dominus edificaverit domum in vanum laborant qui edificant eam. Habemus potestatem vice illorum quibus hanc specialius concessisti ligandi atque solvendi. sed sicut non debemus quenquam iniuste ligare ita non possumus aliquem nisi premissa satisfactioe condigna recte absolvere. Unde hoc tibi domine totum ut decommitimus. ut omnipotenti relinquimus. Tu oculorum cognitor. tu renum et cordis es perscrutator. Tu vales eum talem efficere. quem iuste nos debeamus absolvere. Fac ergo domine quaesumus fac propter nomen tuum. Inspira menti eius. ut te toto corde veraciter non fecte requirat. Dece eum secundum prophetam lacrimis poenitentiae praeterita diluere facinora. munda eum a praesentibus sanctificatione tua piissima. Insere pectori eius misericorditer. ut auferat malum cogitationum suarum ab oculis maiestatis tue. quiescat agere perversa discat bene facere. Quaeat iudicium subvertat eum oppresso iudicet causas pupillorum iuste. defendat viduas et orphanos. frangat esurientibus panem. sed suum non alterius. videlicet ne in pie tollat alicui. quod quasi pie tribuat alteri. Egenos et sine tecto pro nomine tuo inducat in domum suam. Cum viderit nudum opperiat eum. et carnem suam id est consanguinitatem vel quemlibet in te proximum ne despiciat. Dissolvat de corde suo colligationes impietatis